





DISSERTATIO MEDICA

De

ABORTU, <sup>1730, 11</sup> <sub>18</sub>

germ.

Von der frühzeitigen Geburt,

quam

Summi Numinis Auspicio,

Ex Statutorum Decreto

Et

*Consensu Amplissimae Facultatis Medicae,*

Pro Receptione in eandem habendam,

Publicae Eruditorum Disquisitioni submittit

DANIEL HENRICUS PASCHKEN.

Med. Doct.

RESPONDENTE


JOHANNE HIERONYMO STEIN.

Reg. Boruff.

Med. Cult.

Die 6. Junii Anno MDCCXXX.

Horis locoque solitis.



REGIOMONTI.

Litteris Johannis Stelteri.



DISSERTATIO MEDICA

De

DEO,  
PATRONIS  
ET  
AMICIS.

REGIONONTI  
Lincens Johannis Seckert.



PROOEMIUM.



praestantissimum Creatoris complementum, post divinae imaginis amissionem, plurimis iisque dolorificis prae aliis animantibus vexari morbis, non solum Heraclitus per totum vitae suae tempus deploravit, sed & alii solertes naturae nostrae indagatores, qui totum hominem, non dicam, a nativitate, sed a conceptione morbosum jam esse comperti sunt, uno ore conqueruntur. Docent hoc in exemplis toto die obviis parentum epilepticorum, phthisicorum, podagricorum & calculosorum in liberos transplantata semina, & perversum in foetu jam latitans appetendi desiderium, quod annorum tractu in pessimis affectibus sese exerere consuevit. Meum non est, me immittere in vastissimum miseriarum pelagum, quae genus humanum in utroque sexu affligere solent, nec omnes morborum species recensere, quibus sequior sexus & in eo gravidae personae affici consueverunt, sed potius specialissimum casum, qui nonnullis mulieribus gestationis tempore praesertim primis sex mensibus evenire solet, & quem *Abortum* vocamus, in praesentiarum enticleare. Ubi pericula, quae foetum in utero cingunt, & quod mori jam incipiat, antequam vitam trahat, demonstraturi sumus: & quoniam supra nominatus

affectus in maximum matris praedictum vergere solet, quod sanitati & vitae ejus perniciosus existit, omnia scitu necessaria & in fontico hoc malo observanda, quae fundamentum Physiologicum, Pathologicum & Therapeuticum respiciunt, Lectori Benevolo, quantum ingenii robor permittet, methodice proponemus. Tu modo DEUS ex alto, conatibus meis assiste, quia Tu solus Doctor, ex Tua sapientiae abyssu tantum depromis, quantum cuivis Medico utile esse cognoscis, ut & hae pagellae gloriae Nominis Tui depraedicent & in proximi salutem vergant, totus ego ex toto pectore precor.

## §. I.

**I**nter alia morborum genera, quae vigilantis & prudentis Clinici medicationem & exactam patientis observantiam requirunt, non immerito abortum referimus, propterea quod segnes Medici & inexperta remedia juri decumbentis per hoc facile renuntiare possunt, quod tamen salvum & intactum servare debebant, tum praecipue, cum de duplici luditur corio, quod matrem & foetum investit; morosi autem aegri, qui dicto Medici audientes non sunt, eo ipso in manifestum vitae discrimen se conjiciunt. Antequam vero ad *realem* hujus morbi tractationem nos accingamus, necessitas exigit, ut prius *nominalem* illius enucleationem perlustremus. Ad *etymologiam* vocis quod attinet, dicendum est, in vocabulo abortus metaphoram latitare. Etenim quis nescit, *re* abortiri, quod idem est ac ante tempus oriri,

oriri, a planetarum ortu derivari, de quibus primario & proprie, secundo autem & improprie de hominibus quoque praedicatur: Significat ergo abortus intempestivum ortum intempestivi foetus seu partus, **die frühzeitige Gebührt**, aboriri autem ante tempus parere, **vor der Zeit gebähren**. Sic Aulus Gellius nobiscum sentit lib. 12. noct. atticar. Capit. 1. ita loquens: nituntur matres, ut foetus quoque ipsi in corpore suo concepti aboriantur, id est, ante tempus exponantur. Et quamvis casus dentur, ubi in aboriendo foetus molimina magis active, matris vero uterus passive magis sese habeant, quale quid in frequentiore calcitracione &c. fieri solet, communem tamen & receptam in foro medico loquendi rationem servabimus, dicentes, quod penes matrem sit abortum facere, penes foetum vero abortum pati. Haec ubi praemissa fuere, ordo postulat, ut abortus essentiam *reali* definitione exhauriamus, quam sequentibus complectimur: *Abortus est foetus imperfecti aut vivi aut mortui, ante legitimum pariendi tempus, praeternaturalis ex utero facta exclusio.*

§. 2. In explicanda definitione notandum, quod *Subiectum abortus* sit foetus imperfectus, qui tempus septem mensium nondum adimplevit; quemadmodum autem imperfectionis datur differentia, ita dicendum erit, foetum alium esse imperfectum (1) *ratione temporis*, quale quid contingit in foetu bimestri, trimestri, quadrime-

stri &c. in quo omnium actionum integritas, propter solidarum partium deficiens robur, fluidarum vero, ob respirationis absentiam, & ob principii vitalis activi imbecillitatem, quaerenda non est; alium vero (2) *ratione essentiae*, quale quid in superfoetatione, ex concubitu post conceptionem facta; & in monstroso foetu occurrit, cui vel inutilia & peregrina membra sunt superaddita, vel necessaria & propria sublata; (3) *ratione status*, qui in foetu vel vivo vel mortuo se manifestat. Differunt etiam supra nominatae abortus species (4) a *partu praematurato*, qui septimo mense nondum completo matri evenire solet, ita tamen, ut foetui rarissime lethalis existat. (5) *amola*, quod concrementum fibroso-membranaceum informe, sanguinem spissum, nigricantem, quandoque etiam aquam & flatus, facta incisione, exhibet; & quanquam Moronus rarissimum exemplum molae viventis rostro & ungibus foetum enecantis adduxerit, ex hoc tamen non sequitur, quod praedicari possit, mulierem ex mola gravidam abortum fecisse, potius illam eiecisse, quemadmodum de partu praematurato septimo mense nondum completo, tuto praedicare licet, matrem illum peperisse, quia hic neque ad imperfectum foetum, neque ad monstrosam & informem foetus speciem amplius referri potest.

## §. 3.

Ubi vero abortus statum praeternaturalem praesupponit, qui tanto magis a via & termino naturali defecit,



fleat, quanto proprius ad conceptionis punctum ac-  
 cedit, rationalis Medici officium exigit, ut ex signis diagno-  
 sticis edoctus, imminentem abortum, salva sanitate ma-  
 tris & conservatione foetus, praecoccupare, praesentem  
 vero, ubi causa jam est vulnerata, exquisito remedio in  
 ordinem redigere, omnem operam impendat. Dum  
 autem ex signis, quae vulgus non intelligit, nisi rite exa-  
 minentur, in medicationem facile perversa methodus ir-  
 repere potest, potioris argumenti *signa* junctis rationibus  
 hic apponere licebit, & quidem (1) *imminentis abortus* se-  
 quentibus sunt manifesta: (a) animus moerore & tri-  
 stitia repletus observatur, quod novit, tempus instare,  
 quo amissurum est corpus charissimum sui, sobolem,  
 quam tantopere fovit & nutrit. (b) Sangvis vel ichor  
 ex improvise e vagina uteri erumpit, ut hoc ipso ulterius  
 nutrimentum foetui subtrahatur. (c) Nausea, & cibo-  
 rum inappetentia jungitur, quia spiritus vitalis tantopere  
 non est occupatus circa corpus nutriendum, quam illud  
 ab instanti periculo defendendum. (d) Sentiunt in regio-  
 ne lumbari dolores lancinantes, propter motus spasticos,  
 quibus ligamenta uteri vexantur. (e) Circa pubem vero  
 dolor gravativus, ob pondus, quod subsedendo sphincte-  
 rem uteri premit & dilatat. Si denique juxta Hippocra-  
 tem (f) mammae sponte extenuantur & lac aquosum  
 ex iis fluit, de abortu instante amplius dubitandum non  
 erit. (2) *Praesentis vero abortus signa* magis sunt conspi-  
 cua, quia cum parturientium signis magna ex parte con-  
 spirant.

8  
spirant. In censum illorum referri possunt (α) haemor-  
ragia uteri excedens, cum lipothymiis & extremorum  
frigore conjuncta, propter avulsam ab utero placentam,  
& inaequalem sanguinis distributionem, viscera peten-  
tem & habitum corporis ex parte derelipientem. (β)  
Intercurrens deijciendi stimulus cum doloribus abdomi-  
nis spasticis; ob consensuale motus peristaltici augmen-  
tum, quod intestinum rectum experitur, quoties fundus  
& latera uteri sese constringunt, sphincter vero & vagina  
sese dilatant; dolores vero in ligamentorum extensio-  
nibus adgravantur. (γ) Abdominis conspicua subsiden-  
tia & (δ) ipsa foetus exclusio cum vel sine involucris.  
*Extincti vero foetus signa sunt:* horrores crebri in regio-  
ne lumbari, qui oriuntur ex nausea, quam experitur spi-  
ritus vitalis, detinendi amplius in sua oeconomia subje-  
ctum cadaverosum, quod tanquam venenum animale in  
dissolvenda humorum crasi perniciosum existimat. Co-  
lor mulieris vividus in pallidum sive subfuscum se mu-  
tans, qui indicat, subtilia cadaveris miasmata floridum  
intraesse sanguinem. Adsunt stomachi morsus, animi de-  
liquium, capitis & oculorum dolor, aestus febrilis, qui  
ex salutari naturae intentione excitatur, ad venenum in  
humoribus latitans per poros partium expellendum. Spi-  
ratio foetida & graveolens: venter gravis & quasi pro-  
cidens, & qui etiam admota manu frigidius percipitur,  
ob destitutum motum & tonum, quibus mors & cum  
ea frigus inducitur. Immo si obstetrix immisis digitis  
frigidam

9  
frigidam animadvertit uteri cervicem : quae signa cum  
annexis rationibus quemadmodum sunt potiora, ita L.B.  
in diagnosi formanda sufficere possunt.

§. 4.

*Objectum*, circa quod abortus sese exerit, est uterus.  
Hinc in aboriendo diverso respectu & tempore diverso  
active & passive se habet ; intuitu foetus expellendi hic  
actionem suam, causarum vero intuitu, quae eum ad  
abortum faciendum stimulant, passionem exponit. *Ad*  
*indolem causarum*, quae uterum ad passionem invitant, re-  
ferri meretur (1) partium fluidarum quantitas & quali-  
tas. Ad quantitatem refertur *Plethora*, quae primis prae-  
cipue mensibus primiparis plethoricis periculosa existere  
consuevit, tum in primis, cum crebrae congestiones in  
uterum a natura ablegantur, ex quibus sanguis men-  
struus, ob stricturam organi excretorii, quod in vagina  
uteri firmissime clausi quaerendum, *qualitatem suam flui-  
dam* cum spissitudine commutat, unde stagnationes & sta-  
ses oriuntur, sub quo statu uterus stricto tono discussio-  
nem intendit & excretionem tentat, quem motum extra-  
ordinarium organa sensibilia ferre nequeunt, & hinc una  
cum sanguine facile embryonem expellunt. Huic spissi-  
tudini sanguis *nimum fluidus, subtilis & orgasticus* opponi-  
tur, qui diæta vinosa, aromatica & spirituosæ excitatus,  
foetui ejiciendo periculosus existit. Porro *uterus scirrhus*  
*aut ulcere obsessus*, frequentem experitur stimulum, ad fi-  
nem, quem natura intendit, decussorium obtinendum,

B

ob

ob visciditatem & acrimoniam, in talistatu reperibilem. Hinc fit, ut uterus praeter naturam se contrahat, & una cum sordibus suis foetum ejiciat.

§. 5.

(2) Causarum, partes solidas afficientium, & per consequens abortum promoventium; duas constituo species, illarum scilicet, quae a causis internis, & harum, quae a causis externis, originem trahunt. Ad causas internas, quae solidas & fluidas partes conjunctim in aucto & imminuto motu & tono afficiunt, referimus (α) animi pathemata enormia, iracundiam, tristitiam, terrorem repentinum & gaudium immodico cachinno conjunctum, propterea quod hisce commotionibus humores partim ab exterioribus ad interiora vi pelluntur, quo aequalis humorum distributio intercipitur, & stagnationibus & stasibus porta aperitur, partim vero ab interioribus ad externum corporis habitum relegantur, & eo ipso marcor, tabes & flacciditas viscerum introducit & foetui nutrimentum debitum subtrahitur; quod denique etiam pulmones & uterus per consensum fortiter commoventur, quae omnia foetui excludendo vias sternunt. Inter causas vero internas, quae solidas partes solitarie respiciunt, numeranda venit (β) embryonis major moles, quam ut sensibilem & teneriorum uterus ferre possit, quae pressione sua uteri praecipue sphincterem & regionem inguinalem molestat. (γ) Foetus debilis, aegrotans vel plane mortuus, quem natura oeconomiae suae perniciosum existimans aucto motu & tono expellit. Ad

*causas*

*causas externas* pertinent (a) largiores repetitae venae sectiones in pede gestationis tempore factae, quia per has sanguis a superioribus ad inferiora in majori mole, quam par est, revellitur. (b) Purgantia fortiora, clysteres stimulant, dysenteriae, diarrhaeae, vomitiones, quae ventriculum & intestinum rectum stimulando per consensum uterum valde movent, quorsum etiam emmenagoga fortiora referri possunt. (c) Commotiones corporis nimiae, quae ponderibus portandis & elevandis, saltationibus, vecturis, repentina brachiorum extensione cum ferendo onere juncta, nec non violentis abdominis concussionibus perficiuntur, quia in illis casibus praecipue tendinosum & ligamentosum corporis humani genus valde exercetur, quod ubi uno in loco praeter naturam facta expansione relaxatur, ibi in alio tanto magis constringitur, atque sic exalterato tono foetui ejiciendo januam aperit. (d) Horrendi objecti aspectus, & repentine subortae congladiationes a gravida visae, latronum incurfus & impetus, fulgur, tonitrua, incendium in aedibus propriis vel vicini ex improvise subortum, quae omnia & alia plura sensibilia subjecta, & tenerioris ante omnia constitutionis personas, quae in imaginatione operosae apprehenduntur, ob animum vehementer commotum & ob commercium strictum, quod cum corpore intercedit, illarum uterum quoque valde movent; quemadmodum exemplum ejus abortus in praxi mea contigit, in foemina quadam A. 1725, quae ex incendio ex improvise

B 2

vifo

viso orto mense Aprilis abortum passa est, (cujus foetum adhuc seruo) cum sanitatis pristinae restitutione, quae tamen post biennium alio morbo interiit. Prioribus causis annecti merentur (e) foetida graveolentia & nidorosa nonnulla, quae cadaverosum putridum & nauseosum odorem spirant, quia talia in subjectis sensibilibus iteratos vomitus excitare solent, qui uterum ad consensum ejiciendi invitant. Immo etiam nonnulla fragrantia dulica, cujus naturae sunt castoreum, moschus, ambra, zibethum, liliaquae & alia movendo uterum abortiendi occasionem praebere consueverunt, ob vires narcoticas, quas in genus nervosum exercent. Memorabile est exemplum, quod Borellus Cent. 2. observ. 98. de muliere quadam tradit, quae cum saepe camphorae pixidi infedisset, abortum fecit. Denique non praetermittendam esse reor duplicem illam, quam in Actis Medicis Berolin. volum. 2. Decad. 1. p. 112 & pag. 116. allegatam deprehendo, abortus causam, quarum altera epilepsia, altera vero venenum indigitat. Ex eo quod uterus affectus motus convulsivos pedissequos habet, qui ex tono intensissime stricto foetui mortua canunt, dum eum ante diem laceratis vinculis a matre avellunt.

## §. 6.

Porro non immerito quaeritur, utrum sic dictae fascinationes, *die Bezauberungen, Beschwörungen* ad abortum symbolum suum conferre possint? multis equidem ex Recentioribus haec fabulosa & superstitiosa videntur,

13

videntur, illis praecipue, qui Philosophia corpusculari & sensibus externis omne punctum exhauriendum esse contendunt, rerum incorporearum cum corporeis nullum contactum admittentes. Nobis vero, quibus animae energie in corpus magis perspecta patet, fatendum erit, quod in humano genere dentur individua, quae animae vires eousque exaltare & concentrare possunt, ut, quicquid sub grati vel ingrati nomine illorum ideam incurrit, illud in aliud objectum tenaciter imaginari & impingere possint. Ex his dijudicare difficile non erit, quod gravidarum affixa contemplatio ad corpus demortuum foetui maximum praejudicium accelerare valeat, siquidem per vulgus notum, quod personae, in tali discrimine constitutae, prae aliis magnum phantasiae robur habeant, quod in casu existente ex concepta idea in foetum immitere & per eam hunc enecare potest. Modus a nobis demonstrandus non erit, non quod non possit, sed quod non debeat, propter pessima consecutaria, quae exinde redundare possunt. Interim si quis de existentia ante dictorum casuum, deque veritate causarum dubitaverit, exempla Doctorum in Actis Naturae Curiosae & aliorum hinc inde obvia, evolvat, legat, relegat & perpendat, ita, animae potentia in corpus quantum valeat, cognoscere licebit.

§. 7.

Ultimo error in diaeta commissus seu abusus sex rerum non naturalium etiam multum ad abortum faciendum

B 3

ciendum conferre potest, quod motus in oeconomia animali occurrentes variis modis alterare & turbare valet. Eo intuitu (1) *Aeris calor nimius* a gravida vitandus erit, quia humores nimium resolvit, ut volatilem & aeream acquirant indolem, quam diarrhaeae & dysenteriae prodromi abortus sequuntur. (2) *Frigus immodicum*, quod humores ad spissitudinem, stagnationes & stases invitat, ex quo status utero praejudiciosus emergere potest, quoque fugiendum erit (3) *Aeri denique* praeter consuetudinem humido foetu gravida corpus totum exponere non debet, intuitu fibrarum, quarum tonus ex eo valde relaxatur; ne laesis secretionibus humorum uteri fungus adcreseat, abortus & sterilitatis subsequatur argumentum. Ubi vero de *Potu* sermo instituendus est, non sine ratione quaeritur, utrum per has provincias usu receptus potus Coffee gravidis concedendus & commendandus sit, nec ne? Respondeo, probe distinguendas esse personas ratione temperamenti, aetatis, consuetudinis & sensibilitatis. Illis ergo, quae temperamenti sunt sanguineo-cholerici aut sanguineo-phlegmatici, ob secretiones & excretiones rite succedentes, ob habitum corporis mollem & carnosum, denique ob animi hilaritatem & ingenii alacritatem, modicus usus concedendus est, nisi naturalis aversio obstet, contrarium svadens. Junioribus vero, iisque primiparis mulierculis, ob teneriorem texturam, ne organa secretoria & exeretoria terrestribus & pingvibus particulis onerentur, nisi ex consuetudine prae-

via



via hunc potum sui juris fecerint, dissuadendus & minime commendandus erit; unicum tamen hic casum excipiendum duco, qui appetitum plane extraordinarium respicit, ubi sensui vitali non resistendum esse puto, propter pessima consecraria, quae foetum corripere possunt. Sensibiles denique personae maxime rationalis Medici prudenti consilio indigent, cujus interest inquirere, utrum potus Coffee illis salubris cedat nec ne? in priori casu concedendus, modo non immodicus; in posteriori vero omnia argumenta persvadentia sunt adhibenda, ut, illis convictae, sponte appetitum dimittant. Alias feminis, extra graviditatis statum constitutis, ob ordinarium, quem experiuntur, mensium fluxum, quo ipso sanguini ex potu Thee spissiscenti, occasio varios morbos producendi praeccluditur, dictus potus satis salubris cedere consuevit, experientia teste.

## §. 8.

Prognosin nobis in hoc affectu formantibus ratio & experientia dicitur, quod (a) mulierculae, aliquoties abortum perpeffae, primiparae praecipue, raro partum quoad tempus & maturitatem perfectum exponant, immo plane sterilitatem experiuntur. Ratio (1) in eo consistit, quod quemadmodum natura in actionibus moralibus, ita etiam in vitalibus errare potest, sub specie boni illud appetendo, quod tamen revera perniciosum ei existit, tum praecipue, cum actionis erroneae habitum jam contraxit. (2) Quia uterus per repetitos abortus valde debilitatur,

bilitatur, ut, ubi foetus jam in molem excrescit, eum amplius tenere, & debite postea ob tubarum obstructionem vel uteri concrementum fungoso-scirrhosum, concipere non possit. Quod (β) abortus plus negotii faciat, & periculi portendat, quam legitimus partus, id quod abortientes testantur, dicentes, se decies malle parere, quam semel abortiri. Ratio in eo sita est, quia partus maturus ex lege naturae exponitur; immaturus vero praeter naturam divellitur, unde fortiores laesiones, quae dolores, haemorrhagias nimias, quae virium prostrationes, & lipothomias; secundinarum partiales retentiones; quae fungos & conerementa uteri post se relinquunt, id quod in statu naturali verendum non est. (γ) Mulieri gravidae si tenesmus superveniat, juxta Hippocrat. Sect. 6. Aphor. 27. & si alvus multum fluxerit, juxta Sect. 7. Aphor. 27. periculum est, ne abortiatur. Ratio haec est: quia vagina uteri & intestinum rectum ex consensu contiguitatis reciproce patiuntur, ita, ut, ubi alterum horum stimulum experitur, alterum quoque ad excernendum provocetur. (δ) Leviores illi, qui primis duobus mensibus accidunt, eoque faciliores, quo conceptui propinquiore. Ratio: quia foetus in principio tam firmam cum utero cohaesionem nondum contraxit, quam sequentibus demum mensibus experitur. Quod (ε) periculosior sit abortus in illis, in quibus foetus extinctus est. Ratio haec est: quia ob strictum vinculum, quod uterus cum foetu habet, fieri potest, ut miasmata cadaverosa, quoties in sanguinem matris se diffundunt, pessima symptomata producant.

Praemissis iis, quae cognitioni inserviunt, ordo & necessitas postulat, ut ea, quae curationi utilia judicantur, duce prudentia medica, annectamus. Omnis autem Medici labor eo tendere debet, ut, ubi metuendi abortus suspicionem, ex antecedentibus & consequentibus, junctis signis diagnosticis, incurrit, tritum illud sibi maxime commendatum habeat: *in tempore venire, quod omnium rerum est primum*; ex quo divortium imminens, a natura faciendum, praecoccupare, salva matre & foetu, facile intelligit. Huc referri meretur. (1) *in subjectis plethoricis, lauto & otioso praecipue vitae generi deditis, vel venae sectio in brachio instituta, sub initium & medium gestationis: quia eo tempore natura admodum sollicita observatur de sufficienti nutrimento prospiciendo ad foetum alendum; per quod medium in uterum factae congregationes revocantur, quae pessimorum consecratorum primordia esse consueverunt: vel mutatio vitae generis otiosi in negotiosum, juncto parco cibo & potu, quoniam commotionibus corporis, facta excretionem diaetna, sanguinis quantitas & qualitas imminuitur, si diaeta parce nutriens illis substituatur. Ubi vero abortus imminens ex dicta causa ante fores stare videtur, largior venae sectio in brachio instituatur, revellendi scopo, & temperata diapnoica, ad aequalem humorum distributionem introducendam propinentur. Ex illorum genere sunt v. g. Aqua Cerasar. nigr. flor. Tiliae, Sambuc:*

C

Essent:

Essent: Alexiphar: Stahlī, pimpinell: alb: vel Scordii sale  
 digestivo, juncto absorbente, remixta. Si vero orgasti-  
 cum sanguinem, uterum stimulantem, Pathologia indi-  
 cat, nitrosa & cinnabarina subordinatis absorbentibus,  
 acido impregnatis, in usum Medicum trahenda esse pu-  
 ro, praemissa venaesectione in brachio instituta. Quod  
 si autem uterus scyrrho obsessus, ad abortum faciendam,  
 praegressa spasmodica contractione, invitatus; cujus ta-  
 men diagnosis a prudenti Medico, ex circumstantiarum  
 & causarum tam antecedentium quam consequentium,  
 historia formanda erit, ne quid pro quo in curationem  
 trahatur, tunc methodum praeservatoriam, minime vero  
 curatoriam commendatam sibi habeat; tum praecipue,  
 cum foetus, jam quinque vel sex menses in utero inclu-  
 sus, latitavit, ne partum omni ratione servandum in vitae  
 discrimen conjiciat. Hunc in finem infusum Theiforme,  
 ex lenissimis resolventibus & laxantibus propinan-  
 dum erit uterum gestanti, quod ex Rad: Bardan: Cichor:  
 Hb: Capill: Veneris & Bellid: Flor: Stoech: Arab: & Rha-  
 barb: el: conflatum erit; cui interponendus erit Pulv: an-  
 tispasmodicus, & pulvere march: Epilept: Arcan: duplicat:  
 Nitri perlat: Conch: citrat: Cinnabar: nativ: & ol: Cinna-  
 momi paratus. Praeterea dietam mollem, lubricam,  
 & sufficientem potum, abstinendo a terrore, ira, & tristitia,  
 gravida sibi commendata habeat; quia ejusmodi re-  
 giminis & vitae genere, fomiti, malo ingravescente, pa-  
 bulum subtrahitur, & via ad morbum radicatus extir-  
 pandum

pandum sternitur, cujus tamen curam ad tempus partus differendam esse, utile arbitror, quia natura a partibus recrementitiis semetipsam liberare intendit. Si denique ex praegressa insufficienti uteri expurgatione, & mox insecta nova conceptione, ulcus uteri surgat & primis praecipue gestationis mensibus erumpat, de foetu amplius conservando meditandum non erit, sed eo potius respiciendum, ut, embryo excluso, uterus ab omnibus recrementis ab intra repurgetur, ne novi abortus aut sterilitatis consecutaria inducantur. Huic scopo inserviunt laxantia per 8 dies continuata, cum Analepticorum interpositione.

## §. 10.

Quoties autem ex animi pathematibus molimina abortus conspicua redduntur, toties Therapia moralis praecipue in usum trahatur, junctis absorbentibus, nitrosis & cinnabarinis. Fieri enim solet, ut, ubi animus ad tranquillitate redactus fuerit, aequalis humorum distributio, legitima partium tensio, & actionum vitalium integrum negotium suscipiatur; quibus remediis saepe numero foetum conservatum fuisse novimus. Quanta enim Medici ante lectum sequioris sexus perorantis vis; quantaque dicendi efficacia, norunt illi, qui gravissimo terrore percussas, iracundia exagitatas & moerore prostratas in viam naturalem ordinem tantopere consueverunt redigere, ut sola dicendi facundia evidentissima abortus pericula profligaverint. Decet ergo Medicum rationalem multarum rerum scien-

tia & moralium pericia imbutum esse, ex quibus fontibus argumenta persvadentia opinioni patientis contraria haurire poterit; persuasissimus fore, ut, ubi, DEO benedicente, Medicus aegros physice & moraliter curaverit, Therapia sua quemadmodum in multis aliis ita in fontico hoc abortus effectu, felicem eventum experiat. Si foetus debilis & aegrotans percipitur, analeptica & tonica seu roborantia matri propinanda erunt. Ubi vero ex praegressis largioribus venaesectio in pede instituitur abortus metuitur venaesectio in brachio iterata, pro revellendi scopo, suscipiatur, junctis aliis, pro usu interno, prout circumstantiae patientis id exigunt. Quando denique Diarrrhaeae, dysenteriae, purgantia drastica & emmenagoga fortiora uterum ad abortum provocant, tunc sequens enema usu saepius comprobatum commendo, Rec: Rad: Bistort: Tormentil: Ana unc. i. concis: adde lact: vaccin: libr: 2. coque ad consumt: fere mediet: colatur adde vitell ovi N. i. balsami locatelli drachm. *ij*. Si deijciendi stimulus huic applicationi per omnia non auscultat, denuo illud applicetur, interne vero Ess: cortic: aurantior: & Alexipharm: Stahlii in usum trahatur. Ubi vero vomituriendi occasionem foetores putridi & cadaverosi praebent, frontale, epithema siccum, seu cucupha, ex herbis, floribus & seminibus odorem amaro-acrem spirantibus externe applicetur v. g. Rec: Hb: menth: Thym: Ruta: Ana m. *ij*. Flor: stoech: arab: Lavendul: persicor: Ana p: IV. Bacc: Juniper: Unc: Sem: sem: cumin: sylv: Foenicul: nucl:

nucl: persicor: Cortic: aurantior: Ana drachm: 2. concis:  
 & contus: misce S. Species zum Umbschlag vor das  
 Haupt. Interne vero haustus vini calidi, cinnamono &  
 nucist, impraegnati, addito vitello ovi, gravidae propine-  
 tur: Quo facto morus spastici, ventriculorum & uterum  
 exercentes cessare solent. Animadversum praeterea fuit,  
 nonnullas mulierculas, graviditatis praecipue tempore  
 odorem dulcium, zibethi, moschi, Ambrae & aliarum,  
 ferre non potuisse, & hunc fugiendi ubi occasio non da-  
 ta fuit, in affectus lipothymicos & hystericos illas repente  
 incidisse, quae symptomata soepissime uterum tantopere  
 vexarunt, ut irritatus charissimum sui, sobolem expellere  
 minitatus fuerit. Ad placandum hunc, odor herbae pi-  
 peritidis & flor: Lavendul: pro usu externo, Essent: vero  
 Balsam: Peruviani aut cort: aurantior: recent: una vel alte-  
 ra dosis, pro usu interno evidentissime sese commendare  
 consuevit.

## §. II.

Ultimo loco quaestio illa, in foro medico hinc in-  
 de ventilata, a nobis est decidenda: utrum Medicus fa-  
 scinatatas vel incantatas personas sanare possit nec ne?  
 aliis affirmativa, aliis negativa placuit sententia. Nos ve-  
 ro in antecessum monemus, ut Medicus rationalis histo-  
 riam morbi sibi probe cognitam reddat, & ex sympto-  
 matibus, rerum circumstantiis, & causa morborum  
 omnia accurate decernat, nec ad causas supernaturales  
 prius confugiat, quam eo tempore, quo rationes praeter-

naturales illi reddendae deficiunt, ne idem illud, quod Clero imperito non minus quam indocto, & vulgo superstitioso, opprobrio est, illi quoque vicio verti possit. Postquam autem cognovit, decumbentem fascinationis suspicionem revera incurrere, curae initium equidem cum amuletis hinc inde decantatis facere potest, non alium in finem, quam ut patiens DEI auxilio confusus habeat objectum, circa quod vires phantasiae colligere & exerere possit; ipse vero Medicus sciat, in tali negotio sibi cum impuris spiritibus ex daemoniaco hominum genere prodeuntibus luctandum esse, & hinc probe semetipsum examinet, utrum peculiaribus animae dotibus, quae in tenacissima imaginatione se produnt, a natura instructus incedat, & praeterea de vera DEI vocatione ad officium Medicum, nec non de illius spiritus efficaci assistentia sibi gratulari possit; confusus, Christum verum animarum & corporum aegrotantium Medicum, sibi in variis exemplis medendi methodum & medicinam indigitasse, quae jejunando & orando perficitur, ex eo quod jejunium corpus disponit ad ardentis preces fundendas, preces vero in fide & filiali fiducia emissae misericordiam DEI eousque invitant, ut ejus omnipotentia nostrae impotentiae succurrat. Quod si ergo Medicus se praedictis armis cinctum animadvertit, haud interrupta imaginatione operosus, sibi inimicam ideam, patienti ex fascino impressam, totis animae viribus aggrediatur, & tamdiu in lucta pertinaciter haereat, donec



donec contraria idea suae triumphanti, cedere cogatur. Si vero hisce mediis conjunctim sumptis Medicus destituitur, svadeo, ut sibi illud tritum: manum de tabula, commendatum habeat.

§. 12.

Sciat ergo Lector benevolus, omnem praemonstratam Therapiam nostram eo tendere, ut fonticum aboriendi malum praeoccupare discamus, in vulnerata enim causa remedium quaerere inutile esse duximus, quia tunc Medicus de matre tantummodo conservanda sollicitus esse debet. Itaque supervacaneum quoque esse arbitramur, remedia apponere, quae Clinico, parturientem visitanti, cognita esse debent; siquidem ea cum abortum facienti, in applicatione coincidunt, habito respectu ad circumstantiarum qualitatem & symptomatum varietatem, quae in diversis subjectis diversimode sese exerunt. Unicum tamen monitum non praetereundum a nobis dignum judicamus, quod in eo consistit, ne praesens uteri haemorrhagia, dummodo non enormis, Medicum ab auxilio deterreat, potius id agat, ut embryonem, quantum fieri potest, remediis tonicis, subadstringentibus, analepticis interpositis, & tranquilla corporis continentia conservet: ubi vero nec hisce conatibus gravior accedens uteri haemorrhagia vires patientis exhauriens, auscultat, opera danda est, ut foetus citissime, vel per Enema stimulans vel per lene purgans, excutiat, facies & manus matris generoso vino Rhenano humectentur,

tur, & Analepticum, iteratis vicibus in & post foetus elisionem propinetur, cujus naturae sequens esto. Rec: Aqu: flor: Persicor: Cerafor: nigr: Borragin: Bugloss: Cinnamom: simpl: AnaUnc. 1. Julep: gemmat: Tinctr: corall: drach. 2. Confect: Alkerm: drach. 3. matr: perlar: drach. 1. Elocosáchar: citr: drach. *iß* MF. Mixture. Post foetus autem excusionem eo alloborandum erit, ut uterus diebus sequentibus ab omni fungoso & recrementicia mole liberetur & sollicitè per Pilul. Stahl. expurgetur, ne denuo impraegnata idem periculum incurrat. Cautelas quoque practicas annectere operae pretium esse duximus. Quoniam vero a parte patientis observandae, in causis abortum promoventibus, implicite a nobis allegatae prostant; a parte vero Medici in prudenti medicatione praesumuntur, illis non immorabor, sed paucis absolvendas esse puto, si dixerò, (1) uestionem inassvetis, ubi lege praesinitum pariendi tempus instat, admodum proficuam esse, teste experientia; quia per hanc uterus relaxatur, & partus ad faciliorem exitum disponitur; ubi vero parturiendi tempus nondum adest, illa corporis motitatio fugienda erit, ne per eam abortiendi occasionem subministremus. (2) Si subjectum plethoricum adest, quod laboribus & motu corporis neglectis a sanguinis onere sese liberare non potest, tum venaesectio tempore graviditatis aliquoties repetita, tanquam optimum praeservandi remedium svadendum erit, quia per illud molem, sanguinis uterum prementem, & metuendum ex eo abortus periculum, avertimus, ne foetui exitiosum & matri triste existat.

T A N T V M.



Königsberg, Diss; 1720-39

ULB Halle

3

004 587 928



f  
sb.





DISSERTATIO MEDICA

De

ABORTU, <sup>1730, 11</sup> <sub>18</sub>

germ.

Von der frühzeitigen Gebuhr,

quam

Summi Numinis Auspicio,

Ex Statutorum Decreto

Et

*Consensus Amplissimae Facultatis Medicae,*

Pro Receptione in eandem habendam,

Publicae Eruditorum Disquisitioni submittit

DANIEL HENRICUS PASCHKEN.

Med. Doct.

RESPONDENTE

JOHANNE HIERONYMO STEIN.

Reg. Boruff.

Med. Cult.

Die 6. Junii Anno MDCCXXX.

Horis locoque solitis.

REGIOMONTI.

Litteris Johannis Stelteri.

